



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

Torsellini, Orazio

Romae, 1597

Libri Qvarti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

HORATII TVRSELLINI
 E SOCIETATE IESV
 LAVRETANAE HISTORIAE
 LIBER QVARTVS.



*Pij Quarti, & Cardinalis Vrbinatis studium
 Lauretanæ Domus ornanda.*

Cap. I.



INTER hæc Paulo III. Pius sublectus, cuius Pontificatus, vt pace Italiae lætior, ita decore Lauretanæ domus clarior extitit. Pius quippe superiorē domus Pontificiæ porticū magna exstruxit ex parte. Vetus Xenodochiū nouo adiecto edificio, amplius, & cōmodius fecit. Lauretanū oppidum Recinetensibus ademptū sui iuris esse iussit anno seculi huius LXV. Adimēdi causa fuit, quod negligenter ius dicere, labantes multis locis muros negligere arguebantur. Ita Lauretum trigesimo anno, quam à Paulo Tertio attributum Recinetensi ciuitati fuerat, à Pio Quarto in pristinam libertatem vindicatū est: & Lauretanus Præses octo aureorum millia Recinetensibus, vel inuitis remunerare iussus. Nec minor in cultu B. Virginis, quam in re Lauretanæ amplificanda optimi Pontificis pietas enituit. Canonicorum, ministrorumque numerum non nihil imminutum suppleuit. Collegiū Societatis Iesu à Paulo amplificatum simul Pontificali diplomate stabiluit, simul redditibus auxit. Inter quæ Cardinali Car-

Y pensi

*Tradit. Lau.
 Riera in An
 nal. Lau.*

*Pij Quarti
 beneficia*

*Lauretū Re
 cinetensibus
 ademptum*

penſi humanis rebus erepto, Pontifex Laureti tutelam permifit Cardinali Vrbinati, qui nulli veterum Patronorum pietate, ac ſtudio erga Lauretanam Virginem ceſſit. Ac primum Pompeio Palanterio Aedis Lauretanæ cura, mandata, per eum templi tholum intrinſecus exornandum marmorato opere curauit. Ad radices Lauretani collis in via, quæ fert ad portum Recinetenſem, ſatis vberem, ornatumque peregrinis præbuit fontem. Inde per alios Præſides multa magnifice fecit, vt dicetur in loco.

Picentium cura Aedis Lauretanæ aduerſus Turcas tuenda, & B. Virg. tutela Domus ſuæ.

Cap. II.

CAETERUM eâ tempeſtate Turcicæ claſſis Lauretum petentis terror, & Picentium erga B. Mariam religionem, & B. Mariæ in Picentes beneuolentiam oſtendit. Renunciatum erat ab exploratoribus, ingentem Turcarum claſſem (in qua eſſent triremes centum, & quinquaginta) ex Epiro ſoluiffe eo conſilio, vt Lauretano templo diſpoliato, Anconam inuaderent. Igitur paucis iuteriectis diebus, fama haud procul ab Italia viſæ hoſtium claſſis, ingenti tumultu conciuit Picentes. Inter primum tumultum pubes Recinetenſis Lauretum conuolant ad Aedem præſidio, armisque obtinendam: & patriæ ac ſuorum immemores Lauretum aggeribus, ac propugnaculis muniunt. Certatimque alij Picentium populi accurrunt: cuncta vicina littora complent armatis, Lauretanam præcipue Domum aduerſus Barbaros ſumma ope deſenſuri. Omnibus quippe votis expetendum exiſtimabant, ſi ita res ferret, pro illa, & in illius conſpectu, honeſta morte deſungi. His armorum præſidijs acceſſerunt acerrima aduerſus immanes Barbaros tela, aſſiduæ piorum preces. Quicquid ſacerdotum, quicquid piorum hominū

Laureti

Lauretī, atque in finitimis circa oppidis fuit, Deum placare precibus, supplicationibus B. Virginem suae Domui, clientibusque tegendis inuocare non destitit. Nec preces, ac vota in irritum cecidere. Deipara Virgo nō solum à sua natali Domo Barbarorum vim arcuit; sed etiam à Piceni finibus prohibuit. Quippe Turcicae classis Duces mutato repente Anconitanae oppugnationis consilio, in Samnites maritimos rabiem verterunt suam. Itaque descensione facta, Ortonam, Vastum, Francauillam, aliaque haud obscura Samnitium oppida vi capta, ferro flammaque populantur. Samnio magna ex parte depopulato, haudquam tamen ausi sunt finitimam, praedaeque expositam regionem attingere: adeo praesens Lauretanae Virginis tutela fuit. At Pontifex mire latus Lauretanam Aedem diuinitus praesenti exemptam periculo, suas quoque partes esse duxit prouidere, vt illa in posterum non tantum à periculo abesset, sed etiam à periculi metu. Ergo de architectorum sententia, vicinos oppido colles, vnde oppugnari Aedes ab hostibus posset, mænibus, propugnaculis, fossis, aggeribus munire statuit: nimirum, vt non solum repentinos hostium impetus prohibere; sed obsidionem quoque sustinere egregie valeret. Ceterum pium Pontificis consilium alia ex alia cura distulit, denique mors intempestiua discussit.

Conimbricensis Episcopus malis doctus ablatum Lauretanae Domui lapidem reddit.

Cap. III.

NEC vero hæc tempestas, aut miraculorum expers, aut donorum fuit. Haud facile alias ante, tam paucis annis tam multa, tã testata, tã sermonibus hominū celebrata miracula. Illud toto Christiano orbe celeberrimū. Ioānes Soarius Conimbricēsis Episcopus vir doctrina pari

*Trad. Lau.
Ann. Laur.
Rier.*

ter, ac pietate clarus exstitit. Is anno huius seculi LXI. ad Tridentinum Concilium à Pio Quarto indictum proficiens, ex itinere diuertit Lauretum sub natalem Virginis diem. Ibi fufis rite precibus, votisque perfolutis, ingens eum cupido incesfit ædiculam Lauretanæ similem in suo Episcopatu condendi: ad eamque rem, vnum aliquem lapidem ex Lauretana auferendi Domo. Verum loci Præses, ac Patronus obstabant, interdictum Pontificium intentantes. Itaque Soarius honestum præferens titulum cultus Lauretanæ Virginis propagandi in Lusitania, quod optabat impetrat à Pontifice: ab eoque aufert solemne diploma. Id per Franciscum Stellam asseclam suum (nam ipse Tridentum perrexerat) ad Laureti destinat Præsidem. is erat Pompeius Pallanterius. Posteaquam Conimbriensis Episcopi sacerdotem Pontificali armatum diplomate ad subruendum augustissimum cellæ parietem, venisse fama vulgavit; enimuerò non Præsidi magis, & Canonicis, quam oppidanis aduenisque indigna res visa: nec tam præsentis damno, quam futuro exemplo perniciofa. Proinde passim querebantur, nimirum actum esse de sacrosancta Virginis cella: si semel initium auferendi eius lapides fiat, breui nullum lapidem reliquum fore. Verumtamen quia Pontificis vrgebat authoritas; Canonici, sacerdotesque Lauretani re diuina, ac supplicatione solemni ritu peracta, in sanctam Virginis cellam coeunt, imperata passuri magis, quam facturi. Cunctis tale ministerium obstinate detrectantibus, ipsemet Stella ferro lapidem è pariete eximit, aufertque, custodibus palam frementibus. Breue scilicet gaudium illud Episcopo futurum. Auferret sane sacrilegij minister Deo Deiparæque, quod vtique haud ita multo post, manifesta eorundem ira esset relaturus. Vaticinatio fuit. Hæ voces velut è cœlo missæ audacis hominis perculere pectus: & simul anxijis impleuere curis. Itaque fluctuans animo, quamuis vrgente Episcopi sui imperio, octo

dies

dies totos Laureti substitit: tempusque id omne in placando omni ope Deo nequicquam absumpsit. Neque enim cœlestem leniuit iram, qui causam iræ penes se residere pateretur. Denique ipsis Kal. Decembribus dat se se in viam, haud quaquam libero religione, ac solitudine animo. Cæterum postquam sine vilo incommodo peruenit Anconam; securus periculi iter pergens, Deum adesse sensit suæ temeritatis vltorem. Ex eo quippe magnis semper imbribus, fœdaque tempestate vexatus, procedere tamen quo intenderat perseverans, multa magnaque adibat vitæ discrimina, in singula pene momenta. Viæ lacunis, voraginibusque teterrimæ passim obstare: torrentes obuij exitium minitari: equus quo vehebatur identidem corruere; ipse cadens lacunis hauriri: equi subinde mutati omnes inutiles reddi. Tandem varijs casibus infaustum iter morantibus, Decembri mense exeunte Tridentum aliquando peruenit, maximis incommodis periculisque defunctus. Ibi sacrum lapidem Episcopo tradit exponens, quanti tandem sibi stetisset. At Episcopus nihilo cautior factus, cum spatio diuinitus ad resipiscendum dato, non didicisset alieno periculo, didicit suo. In Februarij mensis exitu, sacrum lapidem argentea inclusum theca transmittere parabat in Lusitaniam; cum repente ardentissima correptus febris, miserandum in modum æstuarè, iactarique cœpit. Ad febrim accedebat grauius atque atrocius malum, acerbissimus inguinum dolor, qui nullam sinebat eum capere quietis partem. Confestim medici adhibentur, qui omnibus rebus frustra tentatis (quia morbi causa consuetudinem, morbus ipse superabat artem) seuerè pronūnciant, sibi non vim, non causam morbi humanam videri. Proinde videret ipse, ne forte illud esset ab irato Deo inflictum malum. Ita parum prosperæ curationis euentum veriti, desperata eius valetudine discesserunt. Ingens Episcopum sollicitudo incefferat anxium, vtrum occulti alicuius delicti tam atroces ab se Deus expeteret poenas. Ergo
desti-

destitutus à medicis æstuarè coepit animo etiã magis, quam corpore: in se ipsum intentius inquirere: & Lauretani lapidis religione animum stimulante, precibus, gemitibusque diuinum placare numen: ab Lauretana Virgine, si eam forte, violata eius Domo, læsisset, exposcere veniã: se ad omnia descendere satisfaciendi causa paratum profiteri. Nec in irritum missæ preces, culpam vtcumque agnoscentis, detestantisque. Mox tacitam velut missam è coelo vocem sibi audire visus, iubentis ademptum Lauretanæ Virgini saxum reddere. At ille veritus, ne id agræ mentis vanum esset ludibrium, simul quod lapidem ex autoritate Pontificis haberet, simul quod tanto bono iam parato fraudare nollet Lusitaniam; animi, consilijque incertus hærebat. Per hæc hebdomadæ aliquot absumptæ. Stella Domini sui iussu, coenobijs duobus sacrarum Virginum ciuitatis Tridentinæ sanctimonia inclytis, Episcopi periclitantis salutem impensius commendarat. Biduo interiecto vnum ex vtriusque coenobij primoribus responsum tulit. si saluus esse vellet Episcopus, Lauretanæ Virgini redderet, quod abstulisset. Ea vox, vt ad aures accidit Stellæ, animum quoque eius parumper defixit mirantis, qui tandem de Lauretano lapide rescuiissent claustris inclusæ virgines, quod Tridenti quidem præter se, & Episcopum (is rem summa ope taceri iusserat) sciret nemo. Haud dubius ergo totam illis rem diuino indicio enunciatam, Domino comperta renunciat. Tum vero ille attonito similis hæsit animo; inde conscientia ictus crebros edidit gemitus. Mox super lectum vbi iacebat, cubito alleuat se, & manus pariter oculosque tendens in coelum, manantibus vbertim lacrymis, veniam à Dei parente enixe perere insilit: ignosceret misericors mater pio errori: ignosceret delictum agnoscenti suum. nihil Lauretanæ Domus penes se, ipsa inuita, futurum. Fixum sibi, ac statutum esse extemplo restituere, quod accepisset: nec deesse fiduciam recuperandæ per eam salutis, lapide restituto. Proinde ip-

de ip-

de ipsa opem ferret, quæ spem fecisset. Nec vero aut ille suum promissum, aut B. Virgo eius spem fefellit. Exemplo Soarius Stellam ipsum, qui attulerat, Lauretum referre saxum illud, & iter maturare iubet. Vix dum ille vrbis portâ citato excesserat equo; cum Episcopus melius habere coepit. Igitur alterum protinus cursorem submittit, qui Stellam ad iter quam maxime accelerandam incitaret. Itaque ille mutatis subinde equis, quietis pene immemor strenue noctes, diesque currebat, Lauretum peruenire festinans. Dictu mirabile. quo propius is Lauretum accedebat (vt postea temporibus inter se collatis intellectum est) hoc melius habebat Episcopus; vt eodem tempore, & Virgini lapis, & salus Episcopo redderetur. Neque illud carere visum miraculo, quod Stella non magis difficili, impeditoque vsus erat itinere sacrum auferens lapidem, quam facili, expeditoque vsus est referens. Satis constat illum Tridento Anconam (ea xv. millia passuum abest Laureto) non toto quadriduo peruolasse. Adeo non tam equorum celeritas, quam diuina quædam vis obsecundabat redeunti. Hæc vti à me perscripta sunt, Raphaeli Rieræ, qui tū Laureti erat Stella ipse narrauit. Et sane propter euidentiâ miraculi, res est omnium sermone celebrata.

Sacer lapis magno apparatu, concursuque in suo loco repositus celebratur.

Cap. III.

L Lauretum Stella attigit mense Aprili ineunte. Protinus Lauretano Præsidi rem omnem, vti gesta erat, enarrat: lapidem argentea, vt erat, theca inclusum cum Episcopi litteris tradit. Quæ fama posteaquam ad Sacerdotum, qui male ominati rem tentantibus fuerant, peruenit aures; pro se quisque fremere, Lauretanam Virginem natalis suæ Domus vlticem oculos aperuisse: & ne talia posthac alius auderet, insigne mortalibus documentum dedisse,

*Ann. Laur.
Rier.*

dedisse. Cæterum vbi primum relati tam euidenti miraculo lapidis fama percrebuit; cunctis oppidanis, aduenisque visendi studio concurrentibus ad portam oppidi, supplicatio est indicta. Ibi Episcopi Conimbricensis litteris (hæ rem totam ordine exponebāt) propalam recitatis, insignis miraculo lapis ornatissimo impositus ferculo, quāta maxima tum potuit pompa à Præside, Canonicis, Sacerdotibus circumfertur: & prosequentibus amplius duobus hominum millibus, in suum reponitur locum. Lapidum duplex ferri retinaculum additum, quod monumentum foret ad posteros, eum temeritate hominum exemptum, Dei prouidentia restitutum. Ipsius quoque Episcopi litteræ ad Pium Pontificem transmissæ, tamquam miraculi testes: quæ hodie cum alijs litteris ad Pontifices pertinentibus, Romæ asseruantur in arce S. Angeli, vnde nos exemplum habuimus, quod hoc loco visum est intexere. Epistola igitur totidem pene verbis in Latinum translata talis est.

Ioannes Episcopus Conimbricensis Præsidi Lauretano S. D. Pro mea erga Lauretanam Virginem religione, eius adis lapidē (quod te non fugit) summa ope, operaque curaueram. Ac demum interdicti Pontificij religione solutus à Pont. Max. impetraram, Cardinale Carpenſi Laureti Patrono non inuito. Sed Deus, ac Dei parens haud obscuris argumētis mihi denunciarūt, vt ablatum lapidem Lauretum remitterem. Quippe, & iniustatus morbus prosperam meam valetudinem diuinitus afflixit; & piorum, Deoque acceptorum hominum monitu hanc morbi causam esse perspexi. Itaque ego nulla interposita mora, veniam pacemque precatus à Deo, eiusque sanctissima parente, sacrum lapidem per eundem Franciscum Stellam Aretinum sacerdotē meum, qui istinc eum abstulerat, referendam curauī. Quæso obtestorque, vt remissum qua par est religione, ceremoniæque recipias, ac suo reponas loco, vna cum calce, quæ pariter remittitur. Vnum oro, vt arculas argenteas, quibus ea continentur, velut testes miraculi asserues ad posteritatis memoriā sempiternā. Gratissimum quoque mihi feceris, si Card. Patronum, ipsumque
Ponti-

Pontificem Max. de tota refeceris certiores, ut posthac Censuras Ecclesiasticas in Aedis Lauretana violatores ratas esse, ac sanctas velint; ne quid omnino illinc in posterum auferatur. Orabis etiam cum istis sanctis sacerdotibus B. Virginem, ut hoc quicquid est, siue erroris, siue culpa clementer mihi condonet. Data Tridenti VI. Id. Aprilis An. M. D. LXII. Subinde tam certi, exploratique miraculi fama per Picenum Italiamque vulgata, & loci religionem, cultumque plurimum auxit, & maximam vndique peregrinorum molem cum donis exciuit. Satis constat, intra vnus mensis spatium, supra quinquaginta aduenarum millia confluisse Lauretum, studio celebrati fama lapidis visendi osculandique. Nec alia res illa tempestate, sermonibus hominum celebratior fuit.

Plures præcipitis ruinae periculo liberantur.

Cap. V.

PER idem tempus Deipara Virgo haud minus mortalium salutem, quam domum suam sibi cordi esse claris indicijs ostendit. Troilus Ribera vir nobilis Lauretum voti causa petens, haud procul maritimo Piceni castello (Cryptas vocant) per abscissas rupes iter faciebat eques. Ibi fallente vestigio, ex præcipiti in subiectum maris littus, equo inhærens deuoluitur, Lauretanam subinde Virginem inclamans. Nec defuit diuinum auxilium, mira res dictu, visuque. Equus cum equite de rupe reuolutus hæsit in femita propter mare: ipse etsi gladio ac pugione præinctus, incolumis euasit, nullaq. læsus ex parte. Ita Lauretum ad duplex votum exsoluendum, lætus, atque alacer tendit. Geminum ac par discrimen Salustius Turmæ equitum Pij Quarti Ductor, ope B. Virginis effugit. Is in altissima rupe Umbriæ iter faciens simul, cum

Z equo

*Ann. Laur.
Rier.*

equo corruit præceps. Sed in ipso periculo memor B. Virginis Lauretanæ, quam ante adierat, eam lacrymabundus implorat. Aduit ruenti B. Maria, & præsentem strenue opem tulit. Itaque ille, etsi ad imam vsque vallem deuolutus, tamen sine vlllo grauiore incommodo surgit: & erat altitudo rupis vnde exciderat, passuum circiter quadraginta, ne quis eam rem miraculo eximeret. Parem in pari periculo B. Virginis opem expertus est Iosephus a Mōte Feltrio. hic editā conscenderat turrim ea mente, vt ibi statueret trabem. Cæterū vestigio fallente delapsus ferebatur præceps. Ibi tum Virginem Lauretanam inuocans extemplo visus sibi cælesti quadam vi, & quasi manu sustineri, ac paulatim sine molestia, periculoque demitti. Igitur solum attigit integris non solum membris, sed etiam sensibus. Illud autem admirabilius. Augustinus Cremensis Catari erat in Vrbe Dalmatiæ an. M.D.LXIII. Iunio in eunte, quo tempore ingens terræmotus bonam vrbis partem hausit, strauitue: & Franciscum Priulum Prætorem vrbis cum vniuersa familia oppressit, haud miserabili magis, quam memorabili clade. Tum igitur Augustinus, & ipse communis periculi particeps, B. Mariæ Lauretanæ implorauit opem. nec frustra. Illi subita parietis ruina obruto, vestimentis dilaceratis, summa duntaxat cutis perstringitur. Ita omnium opinione mortuus, repente B. Mariæ præsidio existit incolumis. Cuius incolumitatem illustriorem fecit aliorum, qui par discrimen subierunt, fæda ac miseranda mors.

Nauta amissa nauis, B. Virginis ope seruatur,
Cap. VI.

*Ann. Laur.
 Riera.*

NEC minor in maris tempestate sedanda, quam in terræmotu B. Virginis Lauretanæ vis existit. Sardus erat quidam Nauarchus peritus, & grauis. qui è Constanti-

stantinopoli onustam mercibus adducebat nauim. Hæc anno huius seculi LX. ipso peruigilio S. Andreae Apostoli, cum iam Miletus Asiae minoris Vrbs in conspectu esset, repente aduersa tempestate iactata, & validis verberata fluctibus fatiscere demum cœpit. Præcisa erat portus capiundi spes: & iam magis ac magis dehiscens carina vberim admittebat aquam. Ergo Nauarchus, nauæque humana ope damnata, Virginem Lauretanam inuocant supplices. Nec surdis auribus adhibitæ preces. Iam prope erat, vt nauis paulatim demersa hauriretur fluctibus, cum nautis, vectoribusque veniam exposcentibus à Deo, Deiparæque auxilium certatim implorantibus, repente inter nocturnas tenebras lux coelestis affulsit, quæ trepidis, & animos addidit, & viam ostendit salutis. Protinus scapham vident in medijs fluctibus pene immotam stare, velut ad effugium diuinitus paratam. Itaque cuncti ea strenue conscensa, cœlestem lucem præeuntem, quasi Ducem itineris sequuntur, Lauretanam esse Virginem rati. Paululum prouecti erant, cum respectantes, nauim quam reliquerant, haustam fluctibus cernunt. Deo igitur Deique parenti gratias, laudesque iterantes, coelestis luminis ductu in Adriaticum sinum deferuntur: ac tandem Italiae oram legentes Anconæ portum capiunt, ipso Apostoli Andreae solemnibus die. In terram egressis haud minori miraculo itineris celeritas, quam Ducis benignitas fuit. Compertum quippe est paucarum horarum spatium millia passuum amplius mille scapham peruolasse. Itaque è vestigio Lauretum profecti, sacrisque mysterijs rite expiati. Deiparæ Virgini vota exsoluunt, miraculum enunciant, predicantque.

*Duo viri à fulminibus liberantur. Duae item
feminae steriles fecundantur.*

Cap. VII.

*Ann. Laur.
Rier.*

HAud praesentior aduersus fluctus, quam aduersus fulmina tutela exstitit B. Mariae Lauretanæ. Antonius à Sancto Stephano castello Lucensis ditionis, atroci procella ingruente, turrim ascenderat, campanum æs de more pulsaturus. Ecce tibi fulmen è cælo ruens turrim enim Antonio deijcit, qui fulmine afflatus, ruinaque oppressus, quatuor horas iacuit exanimis, obrutusque ingenti cumulo saxorum. Plura eodem tempore pro Antonij salute vota à propinquis Lauretanæ Virgini facta, quæ haud irrita ceciderunt. Remoto lapidum aceruo, Antonius viuus, valensque inuentus est. Qui breui receptis viribus, Lauretum venit anno. M. D. LXV. Deiparæ vota reddit, expertam eius opem impensius prædicans. Huic aliud simile eodem fere tempore. Marcus Antonius Ficinus à Monte Feltrio Carpenianæ Paroeciæ Sacerdos turri conscensa, ære campano sacrificij signum dabat. Cæterum subito ictus fulmine Lauretanam inclamat Virginem. Ergo afflatis dumtaxat humeris, vestituque ambusto, ipse haud dubia B. Mariae ope saluus euadit. Propere igitur Lauretum accurrit, vota Deiparæ reddit, votiua tabellâ nobilem, miraculi ad posteros testem relinquit. Nec minus abolita clarissimis feminis sterilitas Lauretanam Virginem eadem tempestate nobilitauit. Julia Roburea Alfonso Estensis Ferrariæ Ducis vxor complures in matrimonio annos cum viro transfegerat prolis experts. Ad vltimum damnatis medicorum remedijs, ad diuinum se conuertit auxilium. Itaque Lauretum venit, animoque rite expiato, Virginem implorat, stirpem virilem exposcens. Addit precibus votum, si filioli compos fiat, se ad Lauretanam

tanam

ranam Aedem cum muneribus redituram, aut si quis casus obftet, pios viros suo loco cum donis esse missuram. Concepto voto domum reuersa prolem concipit; felicique enixa partu pulcherrimum edit infantem. Protinus voti memor infantis effigiem egregie pictam in argentea lamina pondo librarum octo: donum Virgini misit, & addito dono titulus accepti beneficii testis.

ALPHONSVS ESTENSIS ALPHONSI F.
ALPHONSI DVCIS FERRARIENSIS N.
ORTVS IDIB. NOVEMB. A. MDLX.

Huius miraculi fidem aliud consimile adfirmavit. Bernardinus Sanseuerinus Bisiniani Princeps huius, qui nunc est, pater plurimis iam annis cum coniuge exactis, nullos ex ea liberos genuerat. Igitur medicorum, medicamentorumque spe diu frustratus mœrebat non modo expers, sed etiam expes prolis, quam relinqueret tantæ ditionis hæredem. Ad vltimum, quod natura negabat, sibi à Deo, Deiparaque precibus exposcendum ratus est. Voto nuncupato, Lauretum cum vxore contendit. B. Mariam ambo enixe orant, optatam sobolem exposcunt. Nec diu B. Virgo eorum spem morata est. Enimvero priusquam Laureto discederet Princeps, vxorem vterum ferre certis indicijs comperit. Ac breui constitit, eodem illam tempore, quo votum domi conceperat, optatam sobolem concepisse. Cæterum nescio quo casu id beneficium breue, ac fugax fuit. Princeps paucis annis, quam pater factus erat vnico orbatur filiolo. Nec tamen B. Virgo eius fefellit spem, votumque. Haud ita multo post alium genuit filium, qui patri superstes, nunc Bisiniani obtinet Principatum.

Multis

Multis desperata sanitas restituitur.

Cap. VIII.

*Trad. Laur.
Ann. Laur.
Rjev.*

Multis quoque per eadem tempora salus (quamvis
desperantibus medicis) diuini redditus. Car-
din. Moronus periculoso implicitus morbo, Lauretana
Virgine implorata, repente conualuit. Itaque damna-
tus voti Lauretum protinus venit: & gratijs B. Marię actis,
extare voluit diuini muneris monumentum. Proinde vo-
tuum inibitabellā suspendit hoc maxime titulo insignē.
IOANNES CARD. MORONVS EPISCOP. PORT.
GRAVISSIMA INFIRMITATE OPPRESSVS,
A DEO. INTERCESSIONE B. MARIAE
SEMPER VIRGINIS LIBERATVS, VOTI COMPOS
VOTVM PERSOLVIT. AN. DOM. M. D. LXV.

*Card. Moro-
ni votum.*

*Julian. Cæ-
sar. mortife-
ro morbo e-
ripitur.*

Aliud admirabilius, sed paulo antiquius. Iulianus Cæ-
sarinus ex Romanis proceribus, de quo ante diximus, an-
no huius seculi LX. difficili, diutinaque dysenteria confe-
ctus iacebat. Exhaustæ iam erant cum cruore vires: nec
magis iā medici, quā eius domestici, ac propinqui actum
de eius salute credebant. At ille expertæ alias Lauretanæ
opis memor Deiparam inuocat. Protinus cunctis stupore
attonitis, periculo eximitur. Quo propior mortī erat, hoc
evidentius miraculum fuit. Sequitur aliud genere dispar,
evidentia par. Ioānes Baptista Asculanus multos iam an-
nos laborabat ex pedibus adeo grauitur, vt per se ipse in-
gredi haud quaquam valeret. Igitur damnata medicorū
spe, Lauretanæ Virginis opem implorat. Confestim equo
vectus Lauretum venit. Quo postquam ventum est à duo-
bus familiaribus in augustissimam cellam delatus, simul
B. Mariam venerabundus salutauit, extemplo pristinam
valetudinem recuperauit pedum, sic prorsus, vt per se suis
pedibus regrederetur ad hospitium, vnde eum in sacro-

*Aeger ex pe-
dibus sana-
tus.*

sanctam

sanctam cellam modo ægrum, & pedibus delatum esse constabat.

Duo Energumeni à vexatoribus Diabolis liberantur.

Cap. VIII.

PAr in Diabolis, atque in morbis depellendis, B. Mariæ virtus enituit. Illyrica subinde mulier Paula nomine, diu multumque à malorū Dæmonū manu, quibus obsessa tenebatur, vexata, sane mirabile, ac multiplex Lauretanis incolis, aduenisque spectaculum præbuit. Quippe cæteris humanis, diuinisque remedijs frustra tentatis, statuit ad Lauretanam Virginem, certissimum ærumnosorum, perfugium, conferre se se. Ergo Dæmones salubri consilio, itinerique obstare summa ope: & Lauretanum iter ingressam modo fremitu, & clamore horrendo in fugam auertere; modo obfirmato pergentem animo prostrernere humi; aliàs ipsam instigantes in itineris comites, sociosque incitare adeo, vt latratibus, infestisque dentibus cunctos à comitatu absterreret suo. Vicit tandem siue hominum pietas, siue diuina vis diabolicas artes. Itaque quamuis obluētans mulier à valida, minimeque timida virorum manu abripitur in sacram Virginis cellam. Pius, ac peritus talium rerum Sacerdos adhibetur, à quo per incarnati inibi Verbi mysterium iussi faceffere, tandem Diaboli abscedunt muliere exanimi relictā. Cæterum illam deinde receptis viribus, actisque gratijs abeuntem hand procul Laureto rursus inuadunt. Igitur retracta ad B. Virginis Aedem, mira quædam edere coepit, vaticinari, arcana patefacere multorum, peregrinis subinde linguis eloqui. Mirari primo qui aderant, inde admiratio in misericordiā verti. Horum precibus exorata Virgo exagitatores illos denuo exegit. At simul Laureti porta mulier pedem extulerat, confestim importuni illi vexatores aderant: & in

eam

eam velut in antiquam possessionem suam remigrabant. Id cum iterum, ac tertio euenisset, sensit aliquando mulier, se extra Lauretum saluam tutamque ab illis monstris esse non posse. Constituit ergo Laureti vitam degere: & sub umbra, tutelaque B. Virginis latere, eius semper obsequijs addicta. Ibi inter talia annis aliquot absumptis, felici exitu, supremum expleuit diem. Aliud eodem fere tempore accidit huic haud sane absimile. Alexander Galiardinus Bononiensis caupo fuit non ignobilis, is carissimam habebat filiam à quatuor teterrimis diabolis vexatam miseris modis. Hanc igitur magna spe, ac fiducia Lauretanæ Virginis fidei, tutelæque commendat. nec frustra id fuit. paulopost excussis infestis illis vexatoribus, liberam & incolumem filiam recipit. Voti compos eam Lauretum adducit, Deiparæ Virgini gratias acturus, & Lauretani auxilij testis futurus.

Cecis duobus videndi facultas redditur.

Cap. X.

*Anna Laur.
Rier.*

CAecis quoque per idem tempus videndi facultas red-
dita. Petrus Romanus Faentinus erat Neophy-
tus, qui utroque captus lumine multos iam annos in per-
petua nocte moestam trahebat vitam. Ad vltimum fama
de Lauretanæ Virginis miraculis Faentiam perlata ad
spem visus recuperandi torpentem eius animum erexit.
Lauretanam itaque Virginem bonæ spei plenus implorat.
Mira dictu res. dum magna spe infisit precibus, repente
discussis tenebris, optatam recipit lucem. Res satis testa-
ta. Lauretum is venit anno M. D. LXIII. Annibalis Ca-
salij Protonotarij Apostolici, & Vicarij Faentini testes
miraculi litteras protulit. Aliud huic simile. Thomas Par-
mensis ex longinquo, atrocique oculorum morbo, lumina
prorsus amiserat. Desperata igitur humana ope, ad diui-
nam

nam spectare coepit. Nocte quadam acri oculorum dolore excitus è somno, in ipso grabato, vbi iacebat, submittit genua venerabundus: Deiparam Lauretanam enixe inuocat: veniam à Deo, luminumque sanitatem per eam exposcit. si voti compos fiat, se Aedem Lauretanam aditurū vouet. Et votum Deo, Deiparæque cordi fuit. Cum recubisset Thomas, dulci correptus somno paulisper quieuit. Inde euigilans orti iam solis lucem sanis, ac vegetis oculis lætus hausit.

Mutis duobus B. Virgo subuenit, alteri linguæ vsum, alteri exsectam linguam restituens.

Cap. XI.

NEc in cæcos B. Virgo benignior, quam in mutos fuit. Ioannis Vbaldi Patauini clarissimi copiarum Ducis paruus filius comitali oppressus morbo, vsum amiserat linguæ. Iam triennium mutus, atque æger iacebat, cum eius pater desperata medicorum ope, Lauretanæ Virginis implorauit auxilium. Et auditæ paternæ pro filio preces. Extemplo puer pristinam non tantum linguæ, sed corporis quoque diuinitus recuperat sanitatem. Igitur anno M. D. LXIII. Lauretum à patre adductus: Deiparæ Virgini ab utroque grates actæ: vota impense reddita: tota res Lauretano Præfidi, alijsque compluribus enarrata. Cæterum illud, vel maxime admirabile. Samnitum Prætor Lauretum petens Ciuitellam diuerterat. Ibi nefarium hominem apprehendit assuetum in Deum, ac Virginem Lauretanam, impia subinde verba iactare. Ergo infensus ira, protinus exempli prodendi causa, væsanam magniloquentiam exsecta sacrilego lingua vindicauit. Neque hoc contentus, eundem in custodiam traditum asseruari sedulo iubet, quoad ipse Laureto regressus decerneret, an esset poena grauiore multandus. Itaque miser ille supplicio

*Ann. Lawo.
Rier.*

A a sumpto

sumpto æger, intentato sollicitus aliquando resipuit, & scelere in cultum verso, dies noctesque Lauretanam Virginem tacitis placare precibus, votisque institit, obsecrās, vt infensam sibi Proregis leniret irā: daretque facultatem animi labes sacra confessione expiandi. Nec ingratae Virgini, irritaeue exstiterunt impij hominis resipiscentis preces. Haud multo post species Deiparae illi in somnis oblata est iubentis eum bono animo esse: breui fore, vt custodia emissus ad Lauretanam Aedem pergeret: ibique peccata confiteretur, nouae linguae subsidio. Praedictionem comprobauit euentus. Experrecto quaedam quasi lingua renasci coepit, qua haud sane ægre sensa exprimeret mentis. Et Prorex Laureto reuersus re cognita, parcendū existimauit, cui Virgo ipsa pepercisset. Confestim igitur eum liberum dimittit monitum, vt suo posthac periculo scaperet. Datisque ad Poenitentiarios litteris miraculi testibus, Lauretum destinat gaudio gestientem ad vota reddenda. Quo vbi venit, haud magis Proregis epistola, quam res ipsa miraculi fidem omnibus fecit. Quippe patefacto oris hiatu (mira dictu, mirabilior visu res) simul recisam linguam, simul lingulam quandam subnascentem videbant, & tamen vbi ille vellet, quanquam blefo ore, audiebant loquentem. Neque hic stetit res. Postquam domum reuertit, sacris mysterijs bis, terue perceptis, noua lingua ad iustam magnitudinem nouo excreuit miraculo. Itaque Lauretum denuo ad agendas Deiparae grates profectus, ijs ipsis, qui exsectam paulo ante linguam viderant (quorum ex numero Raphael Riera fuit, qui hanc memoriae prodidit) immortalis B. Mariae dono renatam ostendit, cunctis rei nouitate atque admiratione attonitis, & tam eximium, tamque illustre miraculum B. Virgini gratulantibus.

Indens

*Iudæus à Beata Virgine vinculis exemptus,
Laureti Baptismo expiatur.*

Cap. XII.

NEc Christianos solum, sed etiam Iudæos Lauretana Virgo suæ benignitatis, opisque participes fecit. Nazarenus fuit Hebræus vir alioqui grauis, ac prudens, qui Nazarethi habitabat in vico, vbi Lauretanæ Domus diximus extare vestigia. Is igitur ex loci vicinitate, de quo multa fando audierat admirabilia, religionis aliquid traxerat. Iam Mariæ cui fauebat suæ, quam tanto à Christianis coli honore cognorat: iam à Christo ipso eandem ob causam haud sane multum abhorrebat. Cæterum, vt est genus hominum durum, atque obstinatum, in auita hærebat superstitione, qua illum à puero diuturnus vsus implicauerat. Sed grauis calamitas tandem obfirmatum animum flexit. Iam sexagenarius ob patratum nescio quod facinus, à Turcis comprehensus æternis addicitur vinculis. Tandem ærumnis confectus, desperata salute corporis, de animo cogitare cœpit. mox iniecta diuinitus ingenti salutis cura, veniam à Deo mundi conditore suppliciter orare institit. ita victa malis obstinatio, & diuina lux caliganti animo oborta. Ergo, & Iesum Christianorum Messiam, & Mariam Messiam matrem venerabundus implorat. Id cum impense fecisset, discedit cubitum spei, ac fiduciæ plenus. Nec vana spes fuit. Eadem nocte secundum quietem se illi obtulit Christus: quem cum ex specie, qua coli à Christianis solet, agnouisset; verum Deum, ac Messiam professus, insuper supplex adorauit in somnis. Confestim illi eximia pulchritudine, ac maiestate virginis species oblata est, cuius iussu altera virgo eius comes Nazarenus catenis eximit, quibus vincus tenebatur: fori-

Aa 2 busque

*Ann. Laur.
Riera.*

busque carceris reſeratis, adhuc ſopitum ſomno, ſed per quietem, quæ re ipſa gerebantur, videntem deducit ad portum. Ibi potior virgo, quæ alterius Domina videbatur, nauiculam paratam oſtendens; Iam liber es, inquit, eſto liberatricis memor. en tibi effugium paravi, nec deero fugienti, tu modo Lauretum, quod oppidum in Piceno Italiae regione eſt, pete: ibi Chriſtianiſ initiatus ſacris ad Mariae aram te ſiſte, ſuſcepto conſilio vitæ melioris. Tum vero Iudæus gratijs vtriſque, ac præcipue ei, quæ primas tenebat, actis, orare liberatricem ſuam, vt nomen ſuum edere ne grauetur. Et illa cum ſe Mariam Lauretanam, Luciam comitem eſſe dixiſſet; ſubito cum comite ex oculis abiit. Tum demum euigilans Hebræus veram rei geſtæ ſpeciem ſibi in quiete oblatam ſenſit. Dum rei miraculo defixus hæret, nullumque grates agendi Lauretanæ Virgini modum facit; nauicula, quam B. Maria hortante conſcenderat, per maria ſua ſponte incredibili celeritate ferebatur. Itaque diuino ductu impulſuque Anconam appellitur biduo. Miraculo deinde vulgato, à primoribus ciuitatis benigne accipitur; quibus instantibus, vt ibi baptiſmate ablueretur, atqui, inquit, Maria Chriſti mater Laureti me baptizari iuſſit. Ergo à Prætoſe Anconitano cum litteris commendatitijs dimiſſus Lauretum pergit: ibique Chriſtianiſ myſterijs ſatis imbutus Baptiſmo expiatur, ingenti vel ſuo, vel aliorum gaudio, ſæculi huius anno LX. Tota res ab ipſo per interpretem Riera, & alijs enarratur.

*Præcipua dona Pio Quarto Pontifice Maximo
Lauretum lata, missaue.*

Cap. XIII.

NEC verò tam fœcunda miraculorum tempestas do-
norum sterilis fuit. Cardinalis S. Præxedis effigiẽ
suam à pectore argenteam pondo librarum quinque. Fran-
ciscus Caetanus è nobilitate Romana aræ ornatum au-
reum, Cardinalis Aragonius argenteum Phrygio opere
& margaritis insignẽ. Alij porro minus nobiles alia mino-
ra dona Virgini attulerunt, quę persequi operæ nõ est. Nec
ignobilis pietas illustrium feminarum. Iuliæ Roburæ Du-
cis Ferrariensis donum fuit sacerdotalis vestis argentea
opere Phrygio magnifice picta. Ducis Grauinensis ami-
culum aræ ex Attalica veste crispante. Ducis Montis Al-
ti pluuiiale ex textili aureo: alterum Clœliæ Farnesiæ ex
holoserico raso lilij aureis conspicuum. Nec facile alias
insigniora tam paucis annis ciuitatum, oppidorumque do-
na exstiterunt. Spelli oppidi in Umbria effigies missa ex
argento librarum trium. Altera Sarnapi in Piceno lib. xi.
Alia Arretij in Hetruria pondo VIII. Firmi quoque vrbis
simulacrum argenteum alterum (nam alterum ab hinc
xxx. fere annis missum) pondo XVIII. his tertium accef-
sit hac eadem tempestate, item ex argento, & magnitu-
dine, & pondere eximium, quippe librarum xxxiiii.
Adiectus titulus votiuum donum nobilius fecit.

VRBS FIRMANA
OB RECUPERATAM REMP.
EFFIGIEM HANC ARGENT.
DIVAE MARIAE DE LAVRETO
VOTO PVBLICO D.

Hęc præcipua Lauretani facelli miracula, ac munera
Pio Quarto Pont. Max. litteris consignata reperio.

Pij

*Codic. Lauv.
Car. S. Præ-
xedis D.
Franc. Gae-
tani D.
Card. Ara-
gon. D.*

*Duc. Ferrar-
ien. D.
Ducis Gra-
uueusis D.
Ducis Mon-
tis Alti D.
Clœliæ Far-
nesiæ D.*

*Spelli oppi-
di simulacr.
argent.
Sarnan. sim.
argent.
Arretij sim.
argent.
Firmi trie si-
mul. argen.*

Pij Quinti de Lauretana Aede testimonium, & Roberti Saxatelli, illo Pont. opera.

Cap. XIII.

*Anna. Lau.
Rier.*

*Pij V. testi-
monium.*

*Robert. Sa-
xatellus.*

Pius Quintus inde Pontificatum excepit, cuius incluta omnibus in rebus pietas in D. Mariæ Lauretanae cultu satis enituit. Nihil quippe illi antiquius fuit, quam ut eam suo aliquo munere insignem faceret. Proinde inter primum Pontificatus sui rudimentum, illustre in suo monumento testimonium Aedi Lauretanae dedit. Nam cereos agnos de more consecraturus, effigiem Domus Lauretanae Angelorum humeris vectae multis eorum imprimendam curavit, cum hoc titulo. **VERE DOMVS FLORIDA. QVAE FVIT IN NAZARETH.** Quod quidem talis, tantique Pontificis testimonium eo nobilius censendum, quo plures orbis Christiani partes cum sacrorum agnorum imaginibus peragrauit. Neque eo contentus Pontifex, Cardinali Vrbinati Aedis Lauretanae tutelam impensius commendauit monito, nihil ut omnino praetermitteret, quod ad eam ornandam, augendamque pertinere existimaret. Itaque optimus Cardinalis ad id sua sponte pronus, impellente Pontifice, in eam curam totus incubuit. Iam Pallantem successor Io: Baptista Maremontius semestris Praeses procuratione Lauretana, Vbaldus deinceps Venturellus paucis mensibus etiam vita excefferat. Cardinalis itaque Vrbinas pari animi magnitudine, ac pietate mandata Pij Pont. facessens, Robertum Saxatellum virum manu, & consilio promptum Laureto praefecit cum summa potestate. Nec egregia Saxatelli industria Cardinalem, aut Pontificem frustrata est. Illo authore, ad augendam Laurentani templi maiestatem, sacerdotum, Canonicorumque delectus habitus: eximijs vndique cantoribus ingenti pretio

tio accitis, symphonicorum chorus nulli secundus institutus: sacra suppellectile aucta, tabulis pulcherrime pictis, peripetasmatis comparatis nitor altaribus, templo splendor additus. Illa autem præcipua augustissimæ cellæ ornamenta. Sibyllarum signa duodecim è Ligustico marmore pulcherrime facta, & in suis loculamentis disposita: quatuor insuper æneæ valvæ ianuis impositæ mirabili opere cælata, Hieronymi Lombardi nobilis illa ætate statuarij, & fictoris manu. His accesserunt bina Principum Apostolorum simulacra ex argento sesquicubitalia, præclara arte perfecta, præcipuis diebus festis ornamento altaribus futura. Quin etiam Sanctissimæ Eucharistiæ honeste, ac decore ad ægros deferendæ, mortuis rite sepeliendis, Nominis Iesu, & Mariæ religioni tuendæ, sodalitates quatuor institutæ, Corporis Christi, Misericordiæ, Nominis Iesu, Rosarijque B. Virginis. Et suum, cuique sacellum cum sacra suppellectili, suus ad conueniendum locus, suæ leges datæ. Quibus sodalitatibus ingens sane, & Lauretano populo commodum, & templo decus accessit. Nec templi finibus Saxatelli se tenuit cura. Publicam bibliothecam cuiusque generis libris instruxit. Noxijs nemoribus, quæ supererant excisis, circumiacentes lacunas penitus exsiccauit. Submotoque Musionis fluuij menia subterlabentis alueo, Lauretanam habitationem lōge salubriorem fecit. Inde vt peregrinis Lauretum petentibus liber, & expeditus vndique pateret accessus, vias omnes, quæ Lauretum ferunt, iam longo vsu vitiatas, atque corruptas partim laterculo, partim glarea strauit. Quamquam horum pleraque Pio V. Pontifice inchoata opera, Gregorio XIII. deinde perfecta. Nauigium quoque ingens subuehēdis è Dalmatia ingentibus saxorum globis, ad Lauretanæ ædificationis vsum, Saxatellus ædificauit: magnamq. saxorum vim Lauretum subuehendā curauit. Hisce lapidibus à Ioanne Boccacino architecto haud ignobili, præclara Basilicæ Lauretanæ facies antiquo opere strui cœpta.

Sibyllarum
signa xii.

Æneæ val-
uæ quatuor
Binæ Apo-
stolorum si-
mulacra.

Domus

*Domus Lauretanae hospitalitas, eleemosynaeq.
Cap. XV.*

Hospitalitas
Domus Lau
ret.

NEC Saxatellus templo, oppido, vijs ornandis intentus, caritatis, benignitatisque Christianæ munia intermisit. Centenos primo, inde ducenos, saepe etiam trecentos, eoque amplius pauperes peregrinos hospitio exceptos, haud sane maligne alebat quotidie. Et quoniã vetus Xenodochium viris erat attributum; crescente in dies feminarum quoque multitudine, nouum mulieribus hospitium exstruxit, instruxitque. Honestiores etiam pauperum, quos à petenda propalam stipe retardabat pudor, occulta iuuabat ope. Principes quoque viros humaniter æque liberaliterque tractabat. Lauretanam Virginem omnium gentium, omnium ferme ordinum hospitam diceres. Haud facile alias apparuit magis diuina prouidentia in humana iuuanda benignitate. Eleemosynarum, votiuæque pecuniæ tanta vis exstitit, vt ad tot, tantaque pietatis, Christianæque benignitatis opera non suppeterent solum, sed etiã superarent. Adeo res familiaris Dei causa erogata, diuina quadam vi cumulator redit. Itaque Saxatellus œconomus vnicus ad augendam rem Lauretanam versus, ex pecunia, quæ supererat (quo benignitatis fons perennis foret) luculenta sane, ac frugifera coemit prædia. In agro Recinetensi Montem Vrsu à Comite Bonarello aureorum millibus decem, totidem Turscionem in Auximano, alios porrò fundos in agro Castri Ficardi, egregium prædium (Aquaiuam appellant) duobus aureorum millibus, & ducentis. Vineas tribus millibus. Et prata, ac saltus, ne vacua, & otiosa forent, armentis bouum, equarum, bubalorum, gregibus ouium, caprarum, aliorumque pecorum impleuit. Quibus ex rebus cum alię commoditates plurimę, tum vero annum vectigal ternorum ferme aureo-

aureorum millium Lauretanæ Domui accessit, haud leue subsidium benignitatis, cultusque diuini. Hæc autem fere omnia, sub Pio Quinto Pontifice, superfluente pecunia comparata. Adeo quod abunde dabatur pauperibus ingenti foenore reddebatur. Deum cum hominibus liberalitate certare diceres. Quin etiã Pius Dei Vicarius diuinum pro virili parte consilium iuuit. Nunquam enim cuiusquam gratia, aut preces flectere eum potuere, vt vota in Lauretanæ Domus emolumentum cedètia in alia pietatis opera conuerteret. adeo fixum habebat, vnde accepta essent beneficia à vouentibus, inibi vota soluenda: nec vsquam melius votiua munera, quam in Lauretanæ Domus ornamentis, & hospitalitate collocari.

Pij Quinti, & aliorum Principum dona.

Cap. XVI.

NEC nullam Pius Pontifex sui erga Lauretanam Virginem meriti gratiam, ac mercedem retulit. Michaellem Bonellum Cardinalem Alexandrinum sororis filium graui, periculosoque implicitum morbo, iamque morti proximum dolens, B. Virgini Lauretanæ pro illo vota fecit. haud frustra. Extemplo Pij Pontificis preces auditæ, moribundo Cardinali salus reddita. Et Pontifex voti compos celeritati diuini muneris pari religionis celeritate respondit. Vt primum Michael per valetudinem iter illud exsequi potuit, eum ad Lauretanam Virginem misit, receptæ diuinitus salutis testem votiuo cum dono futurum. Donum fuit aræ, & Sacerdotis præclara vestis argentea, opere crispo, hoc insignius quod, & pro egregij Cardinalis salute, & à Pio Pontifice mittebatur. Nec facile alias plura Lauretum tam paucis annis Cardinalium munera allata. Cardinalis Mantuani aræ ornatus ex veste Attalica. Cardinalis S. Georgij ex eadem materia vestis sacer-

Bb

dotalis.

Card. Mon.
ini D.
Card. R.
ini D.

Card. Mon.
Pij V. Decretum.

Card. Mant.
Donum.

Card. Mant.
ini D.
Card. R.
ini D.
Card. Vanc.

Anna. Laur.
Riev.
Pij V. vota,
ac D.

Card. Alexandrini D.

Card. Mantuani D.
Car. S. Georgij D.

Card. Montini D. dotalis. Cardinalis Montini aræ amictus ex Attalica veste bifariam crispante. Cardinalis Riarij aræ, & sacerdotis ornatus ex veste Damascena, effigiesque Christi, & candelabra cubitalia ex argento, haud vulgari opere facta. Cardinalis à Monte Alto (is postea Xystus Quintus Pontifex fuit) duplex altarium, simplex sacerdotis, ac ministrorum solennibus sacris operantium amictus, ex veste Damascena aureis floribus ingentibus pulchre, sciteque distincta. Cardinalis Sittici ab Altaemps sacerdotalis ornatus ex auro, argentoque, opere quâ reticulato, quâ Phrygio contextus. Cardinalis Perusini sacerdotalis amictus opere Phrygio conspicuus: alius huic fere geminus eadē materia, & opere Cardinalis Pacechi. Denique Cardinalis Vinerij pluuiiale præclarum, sacerdotisque, ac ministrorum solemnem caerimonia sacrificantium vestes aureæ, ingentibus floribus; auro crispo, & opere Phrygio insignes. Nec ciuitatum munera desiderata. Camertes pluuiiale ex textili aureo: Fabrianenses calicem argenteum magnitudine, ac pondere egregium: Viterbienses aræ amictum ex auro, argentoque contextum Lauretanæ Virgini dona portarunt. His accessere alia haud ignobilia, vel illustrium virorum, vel ignotorum hominum dona, quorum memoria, nescio quo casu intercidit. Exstat nudi pueri statua pene cubitalis ex auro solido, mira arte perfecta, cuius author, & causa non proditur. alij alio trahunt. vulgatiores fama est, votiuum donum esse Principis Asculani vnus è Regni Neapolitani proceribus: ei filium in Principatus auiti spem genitum, pede, manuque contracta deformem fuisse. Cæterum B. Virgine Maria Lauretana à parentibus inuocata, votoque pro filij incolumitate suscepto, diuinitus illi vsum redditum esse membrorum. Et sane huic famæ ipsius quoque statuæ habitus ac gestus fauent. Exstant alia præterea dona eiusmodi, quorum nulla, quod sciam, in litterarum monumentis exstat memoria. Huius quippe tempestatis codex donorum, decen-

decennium ferme complectens, aut intercidit, aut meas effugit manus. Proinde quæ dona extremum Pij Quinti, primumque Gregorij XIII. Pontificatum attigerunt, eorum memoriam, quia non accepi, non queo prodere. Cætera cum fide tradidi, uti accepi ex monumentis litterarum. Per id tempus argentea simulacra Asculi, Recineti, Montis sancti, Bononiæ, Mediolani, & alia, quæ in sacrario hodie visuntur, B. Virgini dicata existimo.

Bern. Cyril.

Alij ab inundatione fluminis, alij à tempestate maris, & prædonibus liberantur.

Cap. XVII.

Complura etiam huius tempestatis produntur miracula. Dominicus à Castro Florentino homo rusticanus hæud procul Elsa flumine in tugurio habitabat cum socijs duobus. Nocte igitur quadam maximis imbribus Elsa super ripas effusus, longe, lateque vicinos campos inundare coepit. Inde ingenti ruens impetu, quicquid obuium erat, secum trahere. Ibi Dominicus sæuientis annis murmure excitus somno, caput effert tugurio: late stagnantes circa campos, aduentantēque fluuium conspiciat. Ergo veritus, ne ingruente eluuiione, obrueretur vniuersis, extemplo cum socijs tugurij culmen ascendit. ibi gliscente periculo perstabat, subinde Lauretanam Virginem inclamans. Nixa erat casa stipitibus parum alte defixis, structa ex cratibus, stipulaque. Hanc igitur cum tribus illis fastigio insidentibus humo auulsam rapidus annis abripuit. Nec tamen eis imploratū Mariæ auxilium defuit. Casa illa vagantis licentia fluminis per duo circiter milia passuum circumlata, tandem ad ingentem accedit arborem. Illi per fugium diuina ope nacti, omisso tugurio, arborem strenue scandunt. ibique manent, quoad remissa aquarum vi, fluuius iam lenior se in alueum recipiat. Ita

Trad. Laur.
Ann. Laur.
Rier.

omnes utique non tam arboris, quam Virginis secundum Deum, opē servati. Alij porrò, & piratarum, & tempestatis presentī periculo erepti, duplici Lauretanæ Virginis munere. Navis Anconitana Alexandrinis onusta mercibus Italiā repetebat. Cum esset in cursu, in piraticos complures incidit lembos, à quibus circumuenta bombardis, telisque oppugnabatur acerrime. Christiani numero ac viribus longe impares diuini spe auxilij Barbarorū impetū sustinebant. Inter hæc alijs alios hortantibus, cuncti pariter Lauretanā inuocant Virginem. Precibus adijciunt votū. Mira dictū res. extemplo additi omnibus simul animi viresque. Redintegrato itaque prælio, hostium vim egregie repellunt. ita fauente Virgine, presentī periculo exempti. Cæterum prædonum defuncti periculo dum curis soluti secundo feruntur vento, mutata repente tempestate, grauius maris adiere discrimen. Haud procul Aulone oppido ad Acroceraunios scopulos sito (Velonam corrupto vocabulo vulgus appellat) atrox procella præsens illis intētabat exitium. Igitur improuiso malo trepidi, voto B. Mariæ Lauretanæ facto, peregrinum nautico more sortiuntur. Nec mora tempestas repente sedatur, navis cursum repetit, Anconam tenet. innoxia. Tantaque fuit navis celeritas, vt sex non amplius horarū spatio ab Aulone, peruolarit Anconam. Ergo cuncti simul vectores, nautæque Lauretum profecti vota alacres exsoluunt, duplicis miraculi præcones pariter testesque.

Plures Turcarum seruitio eximuntur.

Cap. XV III.

Cæterum hi à vi Turcarum, alijs etiam à seruitio liberari. Michael Boleta ciuis fuit Catarenfis haud ignobilis. Hic captus à Turcis in oppido Cabala, non procul

*Anna Laur.
Rier.*

procul Galipoli, versabatur. Quintum iam seruiebat annum, cum seruitij tædio libertatem spectare cœpit, & cum conferuis duobus agitare consilia fugæ. Iraque actuarium nauigium vacuum in portu sine custode naçti, ex composito conscendunt, strenueque propellunt ab littore. Sed eorum fuga haudquaquam Turcas sefellit. Qui confestim duobus expeditis, instructisque piraticis lembis fugientes seruos insectari summa ope cœperunt. Iamque haud procul aberat, quin Michael cum socijs caperetur à Barbaris, graui, utique supplicio, cruciatuque multandus. Ergo vniuersi eius hortatu, à Deo, Deiparaque Virgine, Lauretana exposcunt veniam, opemque. Mira dictu, visusque res. Repente seça coorta tempestas adeo mare, cœlumque turbauit, vt Barbarorum naues procul abegerit. Et immissam diuinitus in hostes procellam res ipsa satis ostendit, quippe eodem ipso tempore, eodemque tractu maris, Turcæ iactabantur vndis; Christiani tranquillo æquore secunda aura ferebantur. Respectantes igitur, vt quam procul abessent Barbari cernerent, ex vittatis capitum tegumentis, quibus Turcæ vtuntur pro pileis (vt ea modo extolli, modo deprimi videbant, senserunt hostes infanis iactari fluctibus: nec iam de aliorum fuga, sed de sua salute sollicitos cum aduersa tempestate luctari, adeo diuinitus iniectus terror Turcarum animos à cura persequendi alios ad suimet tuendi curam auerterat. At Christiani non vento magis, quam B. Maria obsecundante, incredibile celeritate Catarum tenuere. Inde voti, coelestique doni memores Lauretum delati, Christianis mysterijs rite perceptis, Virgini grates agunt, eximium eius beneficium memorantes.

*Laqueo suspensus morti eximitur.**Cap. XVIII.**Ann. Lanr.
Rict.*

ALijs porro etiam extremo supplicio affectis salus red-
dita. Thomas Venerus Dux cohortis militum Se-
benici in præsidio erat. Is milites præfidiarios aduentan-
tis Turcicæ classis fama conterritos non potuerat in offi-
tio continere. Illis igitur fuga dilapsis, desertum præfi-
dium cernens, protinus milite vno qui reliquus erat comi-
te, Zaram contendit. Venetæ classis Duci fugam militum
Sebenici periculum exponit suæ sortis ignarus. Dux quip-
pe tali nuncio concitatus ira, Thomam cum comite su-
spendio extingui extemplo iubet, spatio tamen utrique
ad procurandos de more animos dato. Ibi Thomas sacra
confessione rite expiatus Lauretanam inuocat Virginem.
votoque concepto, collum laqueo inserit haud dubia spe
cœlestis auxiliij. Igitur fune ad antenæ cornu religato, an-
tennâ cum Thoma pendente sustollitur. alligatum erat pe-
dibus ingens ferri pondus: & carnifex pendentis corpus,
antenna sublata, subitoque demissa impense quassa uerat
ter, quaterue. Itaq. omnium opinione mortuus, post quar-
tam horam patibulo eximitur tradendus sepulturæ. Exce-
dit fidem, quod deinde traditur, non tamen Dei, ac Dei-
paræ potestatem. Qui extinctus credebatur, inuentus est
vitiis valensque, cum miles supplicij socius, pari que con-
ditione vsus efflasset animam. Thomas ergo cæteris admi-
ratione defixis, è vestigio Lauretum iter intendit, Deo ac
B. Virgini, quorū immortalis beneficio viuebat, grates actu-
rus. Et res apud Lanretanos sacerdotes satis testata man-
sit. Alia eiusmodi complura sciens prætereo, quod minus
testata videantur, quam vt memoriæ prodenda sint ab eo,
qui nihil ex vano haustum velit.

Duo ab ultimo supplicio liberantur.

Cap. X X.

Illud autem satis notum exploratumque, quamuis ab Apostolorum temporibus pene inauditum, ut Apostoli Petri è carcere diuinitus liberati, vetus exemplum instauratum quodammodo nostra tempestate videatur. Anno post Christum natum circiter M. D. LXX. vir quidam genere, ac factis clarus (nomen authores non edunt; credo quod ipse cælatum voluerit) ab vno ex primoribus Italiæ Principibus in custodia vinctus habebatur. Et falsis oneratus criminibus, iudice utebatur iniquo infensoque. Ergo cum haud dubiè instare sibi vltimum supplicium cerneret; Lauretanam implorat Virginem, orans ut priusquàm è vita discedat, faciat sibi Lauretanæ cellæ visendæ potestatem. Et piæ infantis preces Deiparæ cordi fuere. Sub noctem anxietate animi grauatum corpus arctior complexus est somnus. Dormienti præclara Lauretanæ Virginis oblata species, quæ moerentis pectus ingenti gaudio permulsi. Repente disruptis vinculis, foribusque carceris diuinitus patefactis (obuersabatur autem somniantis animo, quod extra somnium gerebatur) rei nouitate attonitum exire compellit. egressum ad proximum vrbis vicum deducit adhuc dormiètem: protinusque eius subducitur oculis. Tum vero ille expergefactus, vinculis & carceri ereptum se cernens, haud vanam sibi in quiete obiectam imaginem sensit. Gratijs ergo Virgini enixe actis, lætitia ex moerore gestiens domum suam recipit se. Cæterum haud ignarus fore, ut à satellitio Principis conquireretur summa ope, & grauius in semet tanquam fugitiuum consuleretur; implorata denuo Virgine Lauratana, facinus edidit memorabile. Summo mane, diuina fiducia armatus infensum Principem vltro adit: obstupescenti ad eius aspectum,

Ann. Laur.
Rietæ.

Etum, rem omnem ordine vti gesta erat, exponit. Nec in tanto discrimine clienti Virgo defuit suo. Principi extemplo iniecta religio est eius violandi, quem Dei parens saluum voluisset. Enimvero id haud leue esse innocentiae argumentum. Igitur diuina vi tactus, quandoquidem, inquit, Lauretana Virgo tanto te miraculo liberauit; & ego mea sententia libero. Age dum ad augustissimam illam cellam, vti vouisti, perge: & Dei matrem propitiare nobis memento. Itaque ille duplicis voti reus, Lauretum venit. noxis confessione elutis, vota B. Mariae laetus exfoluit. Tam insigne miraculum ipsemet Raphaeli Rie-rae Poenitentiario enunciauit, qui ad posteritatis memoriam id litteris prodidit. Per idem tempus nobilis Hispanus (nomini parcitur, ne fama laedatur) ob patratum facinus morti addictus asseruabatur in custodia, supplicium in horas expectans. Interim subijt eius animum Virgo Lauretana, de cuius rebus admirandis multa olim in Italia, rumore nuncio, acceperat. Ergo ad spem salutis, ac libertatis erectus; orat veniam à Deo pariter, Deiparaque, vtriusque misericordiam & opem exposcit. addit precibus votum, se primo quoque tempore ex Hispania (vbi tunc erat) ad Lauretanam Aedem pauperum peregrinorum ritu, pedibus iturum precario victitantem. Incredibile dictu. Intra tres horas, iudices diuinitus reo reconciliati; sententia reuocata, atque rescissa: reus supplicio, ac vinculis exemptus. Caterum quem metus ad vouendum procliuem fecerat, voti immemorem securitas fecit. Iamque diutina mora tanti beneficij memoriam obruerat; cū Deus religionum vindex eam ab obliuione vindicauit. Nam cum ille sclopetum forte exploderet, ferrea fistula in manibus diffracta citra noxam, & periculi eum praesentis diuinitus vitati, & veteris beneficij, votique admo-nuit. Subijt illico religio animum, ac terror irati Dei. Itaque nulla interposita mora, ad vota Deiparae reddenda Lauretum, vti vouerat, iter contendit. ipsemet

eidem

eidem illi Rieræ rem omnem, sicut à me est exposita, enarrauit.

*Multiplex Lauretanæ Virginis auxilium in
nauali de Turcis parata victoria.*

Cap. X X I.

Iisdem temporibus in vltimo ferme rerum discrimine, Lauretanæ Virginis vis, vel maxime enituit. Selimus Turcarum Imperator Cypro per vim potitus, cæteræ Venetorum ditioni, orbique Christiano imminēbat. Pius ergo V. Pontifex communi periculo communibus viribus occurrendum ratus, Venetis & Hispaniarum Rege in armorum societatem assumptis, ingenti mole bellum apparare cœpit. M. Antonius Columna Dux illa tempestate inter Romanos genere famaue clarissimus, Pontificiæ classi præpositus est, & mature soluere in Turcam iussus. Ibi eius coniux Felix Vrsina pari nobilitate mulier, stimulantē metu orbitatis suæ, liberumque, statuit in tot maritimi belli casibus ad Lauretanam confugere Virginem. Propere igitur cum honestissimo comitatu Lauretū accurrit, haud dubia, per Deiparam facile propitiari posse cœleste numen sibi, viroque. Solemnibus expiata mysterijs in sacrosancta cella supplex pernoctauit, veniam opemque sibi viroque suo à Deo, Deique matre impensius exposcēs. Inde B. Virgine accensis studijs, votiuisque muneribus culta, in eius gratiam Hebræum adolescentulum inibi è sacro fonte suscipit, & aureo donatum torque in suam adsciscit familiam. Nec irrita supplicatio, aut gratia fuit. Haud longo tempore intermisso, cumulati voti compos exstitit. Coniugem suum ex tam atroci prælio non reducem solum, sed victorem etiā recepit: eundemque in vrbe Roma, veteri Romanorum more renouato, insigni pompa ouantem læta conspexit. Cæterum eodem bello haud certio-

Cc

illa

illa in priuata re, quam Pius Pont. in publica Lauretanæ Virginis expertus est opem. Christianam classem vltimæ dimicationi instructam, intentamque esse iusserat. Nec ignarus erat, summam rerum in eo prælio verti. Proinde Pontifex vere pius, priuatis publicisque supplicationibus Deum conciliare institit. Præcipue in augustissima cella Lauretana orari assidue Deiparam iussit, vt in vltimo rerum discrimine pia mater adesset Christianis. Nec Pij Pontificis, piorumque spes in irritum cecidit. Inita pugna nauali, non tam humanæ, quam diuinæ opis res visa. Obsecundante Christianis, qui ante pugnam aduersus erat vento, fumumque bombardarum, ac tela hostium in ipforum ora retorquente, nobilissima est de Barbaris parta victoria. Plerique hostium cæsi: naues partim depressæ, partim captæ: Ingens præda, magna vis captiuorum: supra X. Christianorum millia seruitio exempta. Quorum quidem pars longe maxima deinceps Lauretum persoluentorum votorum gratia venerunt. Satis constat ipso naualis prælij die, antequam signa canerent, Christiana mancipia remigio à Turcis addicta, pro libertate, plerisque autem Duces, ac milites Christianæ classis pro salute ac victoria B. Mariæ Lauretanæ vota fecisse. Vt dubium cuiquam esse non possit, quin tam insignis victoria post Deum, Deiparæ debeat. Ergo non remiges modo captiui Turcarum, sed etiam milites, Ducesque Christiani ad agendas Deo ac B. Mariæ gratias, vota que reddenda Lauretum contulere se. Et diuini beneficii monumenta inibi exstare vtrique voluerunt: alteri quippe catenas, quibus religati ad remos fuerant, apud liberatricem reliquerunt suam: alteri Deiparæ velut auctori victoriæ, manubias hostium consecrarunt. Hoc autem vltimum, atque haud scio an maximum Pij Quinti humanorum operum fuit.

*Anna. Laur.
Rier.*

A Gre-

*A Gregorio XIII. Indulgentijs, & vijs egregijs
adornatur. Cap. XXII.*

Secutus Gregorius XIII. Pont. Max. superiores Pontifices, vt Pontificatus diuturnitate, ita Lauretanæ Virginis religione, ac magnitudine animi vicit. Nihil enim habuit prius, quam vt maxime inclyto in terris templo, si quid deesset, munifice adijceret. Itaque Indulgentias superiorum Pontificum non sua tantum firmavit authoritate; sed prudentia etiam amplificavit. omnibusque promiscue Lauretanam Aedem visentibus cūctorum indulfit veniam delictorum. Pœnitentiariorum insuper auctoritatem auctiorem fecit, addita cœnobarum quoque à delictis referuatis absoluendorum facultate. Illud vero insignè Gregorij donum. Indicta in annum M. D. LXXV. Iubilæi celebritate, Indulgentijsque toto orbe terrarum, vt fieri solet, in Urbis gratiam suspensis, vnā excepit Aedem Lauretanam, quam nihilo secius, quam cæteris annis, illo quoque Romanæ celebritatis anno, ius suum obtinere voluit: ne Romana frequentia quicquam de Lauretana decerperet. Quin etiam Iubilæi anno circumactō, illam ipsam, quæ Romæ fuerat, Lauretano templo concessit Indulgentiam, quam etiam Romæ adepti denuo Laureti consequerentur, si præscripta fecissent. Inde orsus magnificum opus, & tali Pontifice, ac Lauretana maiestate dignum. Satis gnarus erat vias, quæ Lauretum ferebant, etiam in ipsa Pontificia ditone multis locis esse asperas, angustasque; vix vt equiti, peditique expeditus pateret aditus. Pulchrum fore B. Mariæ Lauretanæ ratus est, itinera adeo lata, ac munita esse, vt etiam quadrigis facile ac tuto adiri posset. Itaque præcipuas vias regio sumptu, prope ad veterem illam Romanorum magnificentiam, etiam per saxa ac rupes aperuit muniuitque. Nem-

*Ann. Laur.
Kiera.*

pe, vel in ipsis Apennini iugis via tanta est amplitudine, ut quadrigę inter se occurrentes sine periculo commeent. Ita Pontifex perfecit (quod nisi factum videremus fieri posse nemo crederet) ut effedis, quadrigisque expeditus per Apenninos montes, ac iuga transitus pateret ex Vrbe, non solum in Picenum, sed etiam in Aemiliam, in Galliam Cisalpinam, in Poloniam, ipsamque Germaniam. Ergo ex remotissimis quoque orbis Christiani partibus plurimi rhædis, effedisque vehuntur Lauretum, inuitante itineris commoditate, quos difficultas antea deterrebat. Inter hæc Saxatellus vijs præcipuis circa Lauretū laterculo, aut glareæ stratis egregie ornatos addidit fontes, haud parua vel Lauretanæ peregrinationis decora, vel solatia peregrinorum.

Celebritas Lauretana sub annum Iubilei.

Cap. XXIII.

*Anna. Laur.
Rier.*

INterim dum viæ sternuntur, anno M D LXXVI. qui Iubilei celebritate insignis extra Urbem fuit, tanta vis hominum confluit Lauretum, quantam nemo meminerat. Pompa utique adeo insignis, ut etiam posteris memorabilis sit futura. Quotidie septenæ, octonæue, nonnunquam etiam denæ ciuitates, seu pagi, vicique distincti agminibus Lauretum veniebāt, argenteas coronas, ingentes cereos aureis, argenteisue nummis obfitos, sacras vestes, calices, aliaque dona B. Mariæ ferentes. Et ordo, ornatusque venientium religionem spirabat. Sacræ quippe sodalitates agminibus, insignibusque discretæ, non solum prælatis crucibus auro, argentoque fulgentibus, sed vexillis etiam conspicuis, & Angelorum, Diuorumque personis suum quæque agmen ornauerant. In singulis porro agminibus, alij nudis incedebant pedibus, alij flagris nuda, & cruenta sibi terga cædebant: alij Deo, ac B. Mariæ

riæ non sine symphonia, solemniter canebant carmina. Cæterum inter omnes eminebant sodalitates Picentium, quæ sacras quæ priscorum, quæ recentium monumentorum historias interpositis personis referebāt: summaque actorū venustate in Lauretani tēpli atrio gratissima, vel cœlestibus vel mortalibus præbebant spectacula. Oppidum est Piceni haud sane obscurum, cui S. Genesius ex histrione Martyr nomen dedit. Oppidani veterem Patroni sui laudem pie, sancteque æmulantes, inter omnes populos, piorumque spectaculorum, sacræque pompæ facile primas tenent. Horum circiter mille præter mulieres, inconditamque turbam, Lauretum petentes obuijs miraculo fuerunt. Pompa erat talis. Præibant eorum complures pœnitentium habitu, cruciatuum, ac necis Christi Domini insignia præferentes, qui cilicinis induti faccis: capitibus aspersis cinere, nudis pedibus, tergis affiduo verbere laceratis, longo ordine procedebant. Hos tria deinceps sequebantur ornatissima sodalitia varijs distincta vestium, ac notarum insignibus: & quodque agmen cruces, ac vexilla adornabant argento, auroque fulgentia. Aequè autem omnia agmina accensis sodalium facibus collucebant: & longe, lateque percrepabant egregijs symphonicorū choris. Proximæ ibant tres velut cohortes: prima vetera sacræ historiæ argumēta, ac mysteria referebat. Altera Euangelij, Ecclesiasticorumque annalium illustria documenta virtutum. Tertia martyrum, ac militantis Ecclesiæ decora, nobilesque de Tyrannis victorias. Et personarum, rerumque gestarum simulacra ita ad viuum exprimebantur, vt res non referri, sed fieri, gerique viderentur. Omnino non temporis causa ficta spectacula, sed vera, & suis temporibus præbita crederes. Extremum agmen claudebat currus triumphantis Ecclesiæ, insignibus, cuiusque generis ornamentis, ac mira rerum, personarumque varietate conspicuus. Christus rediuius triumphali curru sublimis eminebat, qui super orbem terrarum sedens, &

vndi-

undique splendore collucens, sublata dextra obuijs populis benedicere videbatur. Circa eum symphoniaci pueri Angelorum faciem gerentes suauissimo concentu cuncta complebant. Currum porro vis ingens Martyrum, Diuorumque cuiusque ordinis, ac generis, virorum feminarum, Virginum coronata, cum victoriarum insignibus sequebantur, spectatorum turbam ad paria decora exemplis suis inuitantes. Sane tota actio non magis spectaculum fuit, quam inuitamentum pietatis.

Ioannis Austriaci eximia pietas in Lauretana Aede visenda.

Cap. XXIII.

*Ann. Laur.
Rier.*

*Ioan. Austr.
pietas & D.*

NEC illa tempestate Aedes Lauretana populorum spectaculis, quam procerum praesentia celebrior existit. Ioannes Austriacus vir Carolo Quinto Imperatore patre dignissimus, nec paterna gloria, quam sua virtute clarior, eodem ipso anno Lauretum voti causa aliquando perrexit. Is quinquennio ante aduersus Turcas nauali praelio dimicaturus Lauretanæ Virgini voverat, si superstes ipse parte de Barbaris victoriæ foret, Lauretum utique ad eam iturum. Cæterum voti competentem publica negotia alia ex alijs morata erant, quominus ante id tempus posset fidem exsoluere. Itaque cum Neapolim victrici classe tenuisset, non horror sæuientis hyemis, non publicæ, priuatæque negotiorum curæ, non procerum, populorumque preces flectere eum potuerunt, ut ne summa hyeme, itineribus glacie, ac niue obsitis, fluminibus passim turgentibus, Lauretum ad Beatam Virginem iter intenderet. Et horrida tempestas insigniorem pietatem optimi Principis fecit. Recinetensem portum equo prætergressus, ut procul Aedem Lauretanam conspexit; venerabundus caput aperuit, ac
Deipa-

Deiparam Virginem salutauit. Inde velut alienato à sui cura ad cœlestis Reginę venerationem animo, nunquam neque imbris, neque cœli inclementia perPELLI potuit, vt semel apertum operiret caput: adeo se caputque suum B. Virgini deuouerat, cuius præsidio se incolumem credebat esse. Postquam ad sacram Aedem peruenit, totius ante actæ vitæ noxis confessione expiatis, grates B. Mariæ ingentes agit: protinus vota persoluta satis magnæ pecuniæ cumulat dono. Comites insuper, & voce, & extemplo ad parem pietatis laudem accendit. Voti pietatisque munere perfunctus Neapolim regreditur, ingens Lauretanæ Virginis desiderium secum ferens.

Singularis pietas, ac munificentia Ioannæ Austriacæ Magnæ Ducis Hetruriæ.

Cap. XXV.

NEC per id tempus Principibus viris feminæ nobilissimæ pietate erga B. Virginem cessere. Quadriennio ante (opus enim fuit rerum, personarumque ordinem sequenti, negligere nō nihil ordinem temporum) inter initia Pontificatus Gregorij XIII. Ioanna Austriaca Ferdinandi Cæsaris filia, eademque Francisci Magni Hetrurię Ducis vxor Lauretum petijt, diuturnam Virginis visendæ sitim explere cupiens. Ergo Pontificis iussu, tota Pontificia ditione, regio cultu excepta à Paulo Odescalco Atriensi, & Pennensi Episcopo, qui ad id ipsum ab Vrbe destinatus fuerat à Pōtifice Max. ad optatissimam Virginis Aedē deducitur. Ceterum pia mulier sub Recineti mēibus, Lauretana Aede procul inspecta, confestim vehiculo desilit, ac submissis genibus Deiparam enixe salutat. Inde reliquum iter conficit pedibus, vniuerso comitatu Dominæ exemplum sequente. Lauretum intrauit in veste candida,
tenui-

*Anna. Laur.
Riera.*

tenuique, ex qua candor mentis eius eximius pelluceret. Inde etiam modestia eiusdem exstitit singularis. Nanque à duobus Episcopis in sacrosanctam Virginis introducta Domum, contemptis pulvinaribus, ac tapetis, super nudo pavimento procumbit in genua: cæli Regem, reginam que illius domus olim habitatores, nunc præfides impense colit: manantibusque lacrymis veniam sibi, ac viro suo: ad hæc concors coniugium, virilemque insuper stirpem precibus exposcit. Solemnibus exinde expiata mysterijs, insequentem noctem totam supplex ante Beatam Virginem, impensius iteratis absumpsit precibus. Idem duobus consecutis diebus, totidemque noctibus factitavit: tantum illi virium incensa pietas suggerebat. Discedens porro duo corda aurea aureis catellis ante B. Mariæ ora suspendit: siue vt monumento forent, illam sibi, viroque suo esse cordi, siue vt Virgo author concordia talem coniugis sui animum præstaret sibi, qualem suum erga illum sciret esse. Neque his contenta donis, ita discessit, vt fixum haberet, Lauretanam Virginem aliquo dono colere quotannis. Idq. quam diu vita suppeditavit, impensius etiã fecit, quam statuit. Argentea Christi crucifixi effigies præclara, cum ingenti cruce ex ebene, candelabra quatuor sesquicubitalia ex argento perbene facta, solemnes Episcopi sacerdotis, ministrorū, aræque vestes ex auro argentoque bifariam crispante contextæ, & Phrygio insuper opere insignes: amictus quoque aureus Beatæ Virginis mirabili arte conspicuus, alia porro aræ toralia, & sacrorum calicum vela opere Phrygio, gemmis, auro, argentoque distincta, Ioannæ Austriacæ sunt munera. Nec in irritum piæ mulieris preces, donaque cecidere. A peregrinatione Lauretana, ex coniuge stirps ei virilis fuit, maternæ pietatis effigies in spem paternæ, ac pene regia ditionis genita, quæ matri aliquandiu superstes popularium suorum animos ad spem haud dubiæ felicitatis erexerat. Cæterum subinde mater

exstin-

Codie. Laur.
Magnæ Du-
cis Herur.
D. egregia

extincta, & arcano Dei consilio matrem impubis filius secutus Hetruriam implevit mœrore, luctuque. At Ioanna Austriaca non solum factorem Lauretanam ornauit, sed etiam exemplum. Haud ita multo post Margarita Austriaca (vt in eadem familia non magis virtutis ex viris, quam ex mulieribus pietatis exempla pereretur) Caroli V. Imp. filia, eademque Octauij Farnesij Parmensis Ducis vxor, Lauretanam Virginem adiit cum egregia nobilissimorum Procerum manu. Ibi Confessionis Eucharistiæque mysterijs rite perceptis, totum triduum diuinis in templo officijs semper interfuit. in augustissimo sacello haud diutius, quam enixius Deo ac Dei matri supplicauit. Ingenti que auri vi in arcam coniecta, B. Virginem se dignis muneribus coluit.

Margaritæ
Austriacæ
D.

Ducis Lotharingi vxor paralytica Lauretum delata sanatur. Cap. XXVI.

NEC Austriacarum mulierum, Italiæque ea propria laus fuit. Christerna, seu Christina Sueuorum rege, & Caroli Quinti Augusti sorore genita, eademque Dux Lotharingiæ, femina existit virili virtute, eximiaque pietate. hæc magno iam natu, quamuis ætate, ac paralyfi impedita, voti causa Lauretum venire constituit. Nec vnquam passa est, id sibi votum, suorum rogatu à Pontifice cum alijs pietatis officijs cõmutari, adeo ardens erat Lauretanæ Virginis visendæ cupido. Lectica igitur cum regio pene comitatu in Italiã, Picenũque delata pergit ire quo destinarat, satis fidens ab se valetudinem B. Mariæ opere recuperari posse. Ergo in sanctissimæ Domus aditu, non cœlestem modo lætitiã hausit animo, sed pristinam quoque recepit corporis sanitatem. Illa membrorum, quibus capta erat, vsu ac vires extemplo sibi redditas sentiens, primum præter morem, sine vllò admniculo institit pedi-

Ann. Laur.
Rier.
Viel. Brigæ.

D d bus,

bus, periculum virium factura. Inde cum res satis proce-
deret, egressa, per se nullo adiutore, sacrosanctam Vir-
ginis cellam suis pedibus circumijt gratulabunda, eius
familiaribus miraculo attonitis, Deique ac Deiparae do-
num certatim extollentibus. At Christina, quam ea-
res propius attingebat, obortis gaudio lacrymis, in-
augustissimum sacellum regressa, ante coeli reginam pro-
uolui: nullum diuini beneficij efferendi modum, nullum
agendarum gratiarum finem facere: se suaque Deo, ac
Dei matri dedere. Exinde, vt tanti beneficij monumen-
tum exstaret, ingens cor ex auro solido coronatum, quod
hunc ad vsum domo attulerat, ante B. Virginem catella
aurea suspendit. Regia deinceps dona promit, torquem
ex auro egregium, coronam ex vnionibus, baccisque,
monile ex gemmis clarissimis: ara insuper ac sacerdotis
ministorumque solemnicaeremonia sacrificantium vestes
argenteas opere Damasceno sane mirabili. demum re-
galia munera ingenti pecunia cumulat. Nec inde ipsa
indonata abijt. Gregorius XIII. Pont. Iubileum illi
amplissimum ab Vrbe miserat, quod ipsa cum vniuerso
comitatu (in quo erant homines facile quingenti) rite
percepit. Caeterum latum donis coelestibus pectus tri-
stis de morte Sebastiani Lusitaniae regis (erat is sororis fi-
lius) nuncius nonnihil turbauit. Verum in tanto, tam-
que improviso vulnere, egregia generosae piaque feminae
enituit virtus. A luctu propinqui Regis ad opem eius a-
nimae ferendam versa, funus illi quanta maxima potuit
pompa celebravit. Sed ita, vt in Aede Lauretana quam
plurima pro eo sacra faciendacuraret. Ad vltimum Chri-
stiana pietate ardens, Nosocomium Lauretanum bis
inuisit, binos singulis agris aureos nummos impertiens,
haud minore liberalitatis laude, quam humanitatis.

Duc. Lotha
imgz D.

Duo præcipiti ruina ex equo periclitantes à morte re-
uocantur. Cap. XXVII.

Minus illustre si personas conferas, sin res ipfas, magis
admirabile extirrit, quod paucis ante annis acci-
derat. D. Susanna Iacobi Thainonii Cortauellenfis equi-
tis nobilis coniux fuit. hæc ab equo cui infidebat excussa,
afflictaque ad terram, ad vltimum periculum venerat.
Namque offibus, quâ fractis quâ luxatis, omnes amiserat
sensus. Ad hæc membra vitalis pene destituerat calor.
Itaque desperata à peritissimis medicis corporis salute, Sa-
cerdos salutem curabat animi, moribundam de more Deo
Diuisque commendans, & lustrali subinde respergens a-
qua. Interim Iacobus carissimæ vxoris vicem sollicitus,
templum proximum intrat. Ibi positis genibus, oculos
pariter manusque tollit in coelum: lacrymansque enixe
Lauretanam inuocat Virginem: votum precibus miscet, se
ad Lauretanam Aedem iturum, si sua ope seruet eam, quâ
nulla vis humana seruare possit. Nec irritum fuit votum.
Vix dum plane id vouerat, cum mulier habere melius
cœpit, ac breui confanatis diuinitus offibus membrisque
conualuit. Eques igitur voti memor anno M. D. LXXV.
(qui anno Iubilæo celebris & insignis fuit) Lauretum cum
vxore contendit. Laminamque argenteam cum Laureta-
næ Virginis effigie, quam hinc viri, hinc mulieris imago
supplex orat, votiuum donum Deiparæ tulit. Additus la-
minæ ritulus, qui totam rem breuiter exponit, miraculi ad
posteròs monumentum. Huic aliud confimile eodem fere
tempore. Nicolaus Pauonius ciuis Catacensis nobilis e-
rat. Is cum eques exerceretur inter æquales, corruente
ab rapido cursu equo, effusus in terram confraçto corpore,
brachio etiam comminuto iacuerat exanimis. Expiranti
finitem famuli excipiunt, domumque referunt haud sa-

Ann. Laur.
Rier.
D. Susanna
Thainonia
à morte re-
uocatur.

Nicolaus
Pauonius
ab interitu
liberatus.

tis compotem mentis. Adhibentur confestim medici, qui mali magnitudine victi, actum de illo esse pronunciant. Pauonius ergo amicorum suasu, B. Mariam Lauretanam implorat, vouens salute recuperata, ad eam salutandam esse venturum. Votum iucundissimus somnus excepit. In somnis Lauretanæ Virginis obuersata species, quæ affectos iacentis artus manu contrectas repente sanaret. Haud vanum fuisse somnium ostendit euentus. Nicolaus è somno euigilans, membra persanata comperit. Extemplo igitur exilit lætus è lectulo, Lauretum accurrit, votum exsoluit.

Quidam ex inimicorum manibus ereptus, quamvis duodecim mortiferis plagis acceptis, diuinitus sanatur. Cap. XXVIII.

*Anna Laur.
Rier.*

Sequitur aliud in alio genere, admiratione præcipuè. Si Ioannes Philippus Ambrosius Neapolitanus tenui re, sed magna religione erga B. Virginem fuit. Is anno huius seculi LXXVIII. inermis inciderat in armatos inimicos, à quibus quam tumultuosissime circumuentus cædebatum ad necem. Iam vulneribus confossus haud procul exitio aberat: nec quisquam opem misero ferebat, & illi animis, armisque infesti non prius cædendi finem facturi erant, quam penitus extinctum cernerent. Ambrosius ergo media iam in morte, Lauretanam Virginem venerabundus inclamat. Nec frustra missæ preces. Extemplo è sæuentium manibus diuina vi ereptus præsentem interitum euadit. Ipsemet (quod postea narrauit) sublimem inde se diuinitus auferri sensit ad teli iactum: vbi exceptus à notis, ex sanguis ac semianimis desertur domum. Nec tamen vitæ discrimen euasisset, nisi nouam in eodem periculo Beatæ Mariæ sensisset opem. Duodecim numero acceperat plagas, plerasque mortiferas, quibus inspectis medici de eius salute penitus desperarant. At ille cœle-

*B. Mariae in
media mor-
te prædium:
Nicolaus
Pauonius
ad interitum
liberatus.*

stis

stis opis modo expertæ memor, tantum miraculum hæud frustra esse credidit. Itaque vnde auxilium aduersus tela inimicorum adfuerat, indidem medicinam vulneribus sperare coepit. Ecce nouum miraculum: B. Virgo impensius ab illo implorata, coelestem plagis facit repente medicinam. Ergo ille omnium opinione mortuus, repente sanus vegetusque surgit è lecto. Lauretumque profectus, vota persoluit, illustre Lauretani auxiliij documētum: bis quippe vno tempore à media morte reuocatus. Proinde à nobis, ignotisque non iam Io. Philippus appellabatur, sed Lazarus rediuiuus.

Mater, & filia à morte, alij ab alijs morbis liberantur. Cap. XXIX.

HAud maior in vulneribus, quam in morbis sanandis, per eà tempora Virginis Lauretanæ vis exstitit. Melido quidam fuit è Vasto vrbe Samnitium, cuius vxor, & filia graui, diuturna que feбри pariter afflictatæ iacebant morti proximæ. Iamque sacris candelis ad capita earum de more adensis, simul ambæ agebant animam; cum Melido, qui vtramque vnice diligebat, vltima experiri statuit. Igitur dolore ardens procumbit in genua: & manantibus vbertim lacrymis, Lauretanæ Virginis opem implorat: supplicationi votum addit, plurimum in Deiparæ benignitate spei reponens. Et spes nequaquam eum fefellit: mira res. repente coniux, & filia periculo exemptæ, paucisque diebus persanatæ. Inde à Melidone Lauretum adductæ, vota pro ipsarum salute suscepta Deiparæ Virginis reddiderunt, anno M. D. LVIII. Insecuto anno Ioannes Petrus Florentinus ex Anna Bassa Vercellenfi coniuge sua filiolum genuerat, vtroque lumine penitus captam. Qua baptismo rite lustrata, Anna mater Lauretanam Virginem enixe inuocans vouet, si puellæ vnus saltem oculi vsus

li usus redderetur, eam absse Lauretum primo quoque tem-
 pore delatum iri. Id votum B. Mariæ cordi fuisse statim
 apparuit. Extemplo nulla humana ope infans cæca alte-
 ro videre oculo cœpit. Mater ergo voti haud parum me-
 mor, impigre Lauretum petit, luscâ gestans filiam sinu
 materiem noui miraculi, nō solum veteris testem futuram.
 Quo propius Lauretanam accedebat Domum, hoc melius
 puella cernebat. Itaque postquam gratulabunda sacrosan-
 ctam Virginis intrauit cellam (is dies fuit III. Non. Maij
 anno huius seculi LXXX.) dextro oculo plane vide-
 bat: iamque etiam sinistro videre cœperat. adeo Deus Deū
 que parens vota exsuperant piorum. Sequitur aliud in di-
 spari genere non dispar fortasse miraculum. Angelo Ber-
 nardinio ex Aemilia, paruus erat filius, cui inter edendū,
 os (ex carne opinor, id enim non traditur) transuersum
 hæsit in gutture, adeo quidem pertinaciter, vt nulla hu-
 mana opē excuti posset: & tumorem gutturis consecuta
 febricula puerum acrius vrgebat. Iam puer exigua in spe
 trahebat animam, cum pater carissimum filium moribun-
 dum intuens, obortis lacrymis Lauretanam Virginē sup-
 pliciter implorat. Nec mora. puer extuffito osse, diuinitus
 imminente periculo eripitur. E vestigio à patre Lauretum
 aduectus B. Mariæ sistitur. Ibi dum votum exsoluit (vt cū-
 mulatum foret beneficium) febricula etiam, quæ ex mor-
 bo erat reliqua, liberatur. Excipit aliud vsitatius, sed ta-
 men non omittendum. Petrus Maria Florentinus diuti-
 nis podagræ doloribus confectus, adeo iam captus erat pe-
 dibus, vt sine adminiculis (cruces appellant) reptare non
 posset. Tandem igitur damnata medentium ope, Laureta-
 nam Virginem enixe inuocat. Nec frustra preces fuerunt.
 Protinus depulso diuinitus morbo, vsum recuperat pedū,
 & Lauretum profectus gratias agit Virgini. Inde cruces
 ipsas, quibus æger subniti assueuerat, apud sacrosanctum
 facellum suspendit miraculi argumenta.

Cæcæ infan-
 ti lumē red-
 ditur oculo
 rum.

Puero tran-
 suerfum, &
 hæsit in gut-
 ture. ex gutture.

Podagrinus
 liberatur.

*Tres Ciuitates pestilentia liberantur.**Cap. XXX.*

Iisdem temporibus Lauretana Virgo non magis ciuibus
singulis, quam vniuersis ciuitatibus præsens in malis
auxilium tulit. Anno huius seculi LXXVII. atrox morbi
vis contagione vulgata, totam pene Siciliam peruaferat.
Iamque nobilissimæ vrbes continuatis prope funeribus ex
haustæ, horrenda superstitionibus præbebant spectacula. Ibi
Panormitana ciuitas ingruente lue, cœlestem iram placare
instittit, ita voto, & imploratione Lauretanæ Virginis,
periculum euasit. Et votum cum fide exsoluit. Exstat ho-
die lamina ingens argentea librarum fere nouem, vbi B.
Mariæ Lauretanæ tecto insidentis expressa effigies visitur.
Cui præclara imago Panormitanæ vrbis subiecta talem
præfert titulum, depulsæ luis indicium.

Ann. Laur.
Rier.

Panorm. pe-
stil. liberat.
Ann. Don.

Panormita-
norum D.

FOELIX CIVITAS PANHORMI TRINACRIAE METR.
B. VIRGINI LAVRETANAE DICAT
EIVS PATROCINIIS A PESTE LIBERATA.
AN. SAL. M.D.LXXVII.

Biennio ferme interiecto, Anicia Gallia vrbs non
ignobilis, triduo distans à Lugduno, in grauiore etiam pe-
riculo par Lauretanæ Virginis experta est præsidium. Diu-
tina vrgente pestilentia, colonis, ac ciuibus pene exhau-
sta haud procul exitio abesse videbatur. Itaque ciues, qui
bus adhuc lues pepercerat, tam atroci, pertinacique ma-
lo conterriti, commodissimum rati sunt, per Dei matrem
placare iratum Deum. Communi ergo consilio, solenne
Lauretanae Virgini votum nuncupant: stratique passim
in templo veniam delictorum, finemque morbo precibus
exposcunt. Nec frustra. Nuncupationem voti ciuitatis
sanitas est consecuta: mali infesta vis profligata: pristina
ciuitati facies reddi cœpta. Extemplo Lautetum votiua

Anicia vrbs
pestil. liber.

Annicensiu
Dona.

HOA

dona

Lugdun. pe
fil. liberat.

cap. I. ant.

cap. I.

cap. I. ant.
Lugdunen-
sum Don.

cap. I. ant.
D. m. m. m.

Venusinæ
Princip. D.
Sfortiæ Pal-
leuic. D.
Card. Ab al-
taemps. D.

Comit. Bri-
atici D.
Card. Est.
Don.
March. Vast-
fi D.
Princ. Sul-
mon. D.

Card. Riarij
D.

cap. I. ant.
D. m. m. m.

dona publice per certos homines missa cum publico testi-
monio, quod monumentum foret, & voti ab Anicienti-
bus facti, & morbi Virginis ope depulsi. Nec Lugdunen-
sis ciuitas Gallia clara in primis, ac nobilis, aut commu-
nis cladis expers, aut Lauretani praesidij exfors fuit. Fœ-
da namque lue claras iuxta, & obscuras domos popula-
te, inopes humani auxilij Magistratus ad Deum, Deipa-
ramque populum, ac vota verterunt. Publice voto pro ci-
uitatis salute suscepto, Lauretanæ Virginis imploratur au-
xilium. Extemplo auditæ preces. agri sanati, pestilentia
discussa. Ergo anno M. D. LXXXI. ab gratia ciuitate vo-
tium donum B. Virgini mittitur, nec ciuium religione,
nec amplitudine vr̄bis indignum: calix ex argento cælaro
inauratus, non minus opere, quam magnitudine inter cæ-
teros eminens. Alia præterea dona haud exigui precii,
magna, & Lauretani auxilij, & Lugdunensis pietatis ar-
gumeta. Inter hæc Roberto Saxatello Pisaurési Episcopo
creato, Iulius Amicus sublectus, qui & si parū lætis ob Lō-
gobardia pestilentiam temporibus vsus, tamen Laureta-
nam Aedē nō parū ornauit. Per id tempus sacra supellex,
& instrumentū Aedis satis auctum. Venusini Principis con-
iux oculos aureos, & coronam argenteam misit. Sfortia
Pallauicinus triremem argenteam pondo librarum quin-
que. Cardinalis Sitticus Abaltaemps pro recuperata pue-
ri propinqua cognatione iuncti salute, eius imaginem
ex argento expressam decem pondo. Delia Sanseuerina
Comes Briatici lychnum argenteum pensilem sane egre-
gium pondo XXI. Cardinalis Estensis cor aureum, Mar-
chionis Vasti coniux argenteam arculam librarum fere
xvi. Vxor Principis Sulmonensis pollubrum, & vr̄ceum ar-
genteum operis, ac ponderis non poenitendī. Cardinalis
Riarius crucem auream specie, ac precio nobilem. Mitto
minora omnia, quæ referre operæpretium non ducimus.

FINIS LIBRI QUARTI.

HORA-